

ad socios, sed tanquam ad hostes ; quum , Plutarcho teste , in Hannibale , bellum adversus omnes Brutiorum urbes, incursionibus continuis, non justis præliis, perageret : *Hannibal sè in Brutios recepit , ubi excursionibus magis , quam justis præliis , bellum gererat.*

Cæterum ex tot populis , qui tempore illo Brutios , & Græcos , in regionibus hisce , quæ modo Calabriæ vocantur , constituebant , quid mirum si duodecim tantum populi ad Hannibalis partes transierunt ? Non omnes fuere nec Brutii , nec Græci ; non ergo illis poena adscribenda jure erat , quæ omnes ignominia affecisset . Et si ex Brutis , & Græcis , populi aliquot Hannibalem sequuti sunt , etiam ex Campanis , ex Hirpinis , ex Samnitibus , ex omnibus fere Italæ populis , eundem sequebantur . Cur ergo non in omnes , sed in solos hosce , animadversum ?

Nec Brutii , nec Græci , semper & omni tempore Pœnorum signa observarunt ; etenim , quum eis opportunum erat , statim ad Romanos redibant . De Consentia Appianus ait : *Sub idem tempus Crassus Consentiam , magnam urbem Brutiorum , atque aliquot oppida , ab Hannibale astraxit.* Et Livius ; eodem tempore in Brutis ex duodecim populis , qui anno priore ad Pœnos desciverant , Consentini primi in fidem Populi Romani redierunt . Quod sane de Campanis , aliisque similibus Italæ populis , non legimus .

At dicent : Nulla ergo populis illis , qui inter Brutios a Romanis ad Pœnos defecerunt , poena ? Cafligatio nulla ? Eadem prorsus , qua Arpinî , Lucani , ac Volscentes , multati sunt ; verborum scilicet cafligatio . Hæc apud Livium diserte narrantur dec.3.lib.27. quæ & Barrius lib. 1. fol. 43. refert : *Iisdem fere diebus*
ad